

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius
notitiam, informatio**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Dominica I. post festum epiphantias

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

Quia enim talem Salvatorem agnoscimus, qui non niger & nudus homo, sed simul æternus Deus & Dei filius est, de plenâ peccatorum nostrorum solutione neutiquam dubitemus, quia non nudus homo, sed ipse filius Dei, eam pro nobis præstitit. Si enim sanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ adpersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: quanto magis sanguis Christi, qui per spiritum æternum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus

mortuis, ad servendum Deo viventi? Hebr. 9. v. 13.

Pleno hinc fructu solatio! Sicuti enim Deus pater cœlestis filium suum amore ardentissimo complectitur: ita quoque te complectetur, si juxta verbum ejus vitam institueris. Oves meæ, ait ille, vocem meam audiunt, & cognosco eas, & ego vitam æternam do eis, Joh. 10. v. 27. Largiatur hoc nobis benignissimus Deus, per Filium suum Jesum Christum, Servatorem nostrum laudandum in secula! Amen.



Dominica I. post Festum Epiphantias.

Evangelium Luc. 2. v. 41. -- 52.

EXORDIUM.

DE Helkanâ, & Hannâ uxore ejus, memoratur, quod stans diebus de civitate suâ adscenderint in Silo, ubi arca fœderis erat, ut adorarent & sacrificarent Domino exercituum, Filiolum quoque sibi à Deo donatum adduxerant secum, cumque commoverant Domino, cunctis diebus. Samuel autem ministrabat ante faciem Domini, puer, accinctus Ephod lineo. Et tunicam parvam faciebat ei mater sua, quam afferebat stans diebus, ascendens cum viro suo, ut immolaret hostiam solennem. Puer autem Samuel proficiebat atque crescebat, & acceptus erat, tam Deo quam hominibus, 1. Sam. 1. v. 3. 24. c. 2. v. 18. 19. 26.

Samuel Typus Christi est.

Samuel interpretativè idem est ac rogatus à Domino: Sic S. Patriarchæ Veteris Testamenti diu suspirarunt: Rorate cœli de-

super, & nubes pluant justitiam; usque dum Messias in carne apparuit, Esa. 45. v. 8.

Parentes Samuelis stans diebus adscenderunt in Silo, administrandum Domino sacrificiis & precationibus, filiolum quoque suum adducentes. Simile quid de Parentibus Christi audimus, quod quotannis adscenderint Hierosolymam, & filiolum suum, anno ætatis duodecimo adduxerint secum. Quod egregium est speculum, in quo videmus, quod Parentes non modò, quantum in ipsis est, pietati litare, sed & liberos suos in eâ, ab incunte ætate informare debeant, ut sint arbores justitiæ, plantatio Domini, ut glorificetur, Esa. 61. v. 3. 1. Tim. 4. v. 8.

Samuel ministrabat ante faciem Domini, puer, accinctus Ephod lineo: Sic audimus in prælecto Evangelio, quod Christus inventus sit in templo Hierosolymitano in

H medio

medio Doctorum, audiens illos & interrogans eos. Quò comprobavit, se magnum illum Prophetam esse, de quo Moses prædixit, Deut. 18. v. 15. à Deo missum, ut nobis viam cœli monstrare & utilia docere debeat, Esa. 48. v. 17.

Puer Samuel proficiebat atq; crescebat, & acceptus erat, tam Deo, quam hominibus: De Salvatore nostro Jesu similiter ait Evangelista in fine Evangelii: Jesus proficiebat sapientiâ & ætate, & gratiâ apud Deû & homines, ut omnes pueri hinc exemplum capiant, si vestigijs Jesuli duodecennis insistant, & parentibus subditi sint, quod à Deo multam benedictionem, gratiâ & salutem impetraturi sint, Ps. 115, 12. 13.

Nos ad ipsum Evangelium accessuri, considerabimus ex illo:

I. *Αὐθρονησθησάντων* sive *notitiam nostri*.

II. *Χριστογενέτων* sive *notitiam Christi*.

Exegesis.

Duas Leges Judæi in V. T. duriusculè sonantes, & veteri Adamo minimè arridentes, habebant:

Prima erat, quòd septimo quoque anno, agros quiescere, & incultos relinquere tenebantur, ut quæcunque à seipso provenirent, pauperibus inservirent. Durum hoc ipsis videri potuisset, propterea ipse Deus præoccupat, dicens: Quod si dixeritis: quid comedemus anno septimo, si non severimus, neq; collegerimus fruges nostras? Præcipiâ benedictioni meæ vobis, anno sexto, & faciet fructus trium annorum, Lev. 25, 21.

Alterâ erat, quòd omnes masculi singulis annis ter Hierosolymis comparere, ibiq; in templo, sacrificiis & preceationibus vacare tenebantur, Exod. 34, 23, 24. Lev. 23, 6. Deut. 16, v. 16.

Hoc non minus durum erat, propter finitimos hostes, qui tempore illo, masculis omnibus Hierosolymis existentibus, commo dam occasionem nanciscabantur, in regiones irrumpendi, easq; devastandi. At hoc quoq; præcavit Deus, inquit: Nulus insidiabitur terræ tuæ, adscendente te & comparente, in conspectu Domini tui, ter in anno. Exod. 34, v. 24.

Adhuc hodie absurdum audit in auribus carnalibus, si præcepta hæc duo sedulo in Ecclesia inculcentur, quod nimirum esurientes cibare, sitientes potare & nudos vestire, Matth. 25, 35. Et secundo templum sedulo frequentare, ibiq; Deo, auditu verbi, preceationibus, & gratiarum actionibus fideliter inservire debeamus, Hebr. 10, v. 25. 1. Cor. 14, 26. Utrumq; videtur rei familiari derogare. Sed verum manet, & manebit vulgare Proverbium: *Alle Mosen geben armet nicht / Kirchen gehen säumet nicht*. Prov. 19, v. 17. Matth. 6, v. 33.

Hoc rectè perpendentes minimè nos abstrahi patiamur. Siquidem quod ad templum frequentandum attinet, præclarum exemplum in Evangelio habemus, in Josepho & Mariâ, qui non solum ipsi iter Hierosolymitanum expediunt, ad cultam Deo exantlandum: sed & adducunt secum puerum suû duodecennem, & in devotione suâ tamdiu persistunt, dum feræ absolutæ sint.

Notitiam nostri discere possumus ex hoc Evangelio, si contemplamur

I. *Parentum Christi devotionem*, quam testantur

1. *Templi visitatione*. Ibant enim per omnes annos in Hierusalem, secundum consuetudinem diei festi.

Judæi tria festa solennia celebrabant, nempe solennitatem azymorum, Hebdomadam

madum & Tabernaculorum, ubi singuli masculi Hierosolymis comparere tenebantur, ubicunque terrarum degerent, ut constat ex Deut. 16. v. 16. 17.

Licet autem Maria mater Domini hanc lege non constringeretur, & sic salvâ conscientia domi manere potuisset; attamen tantisper negotiis rei familiaris posthabitis, Josepho sese ad sociat, ad pietatem & animi devotionem demonstrandam. Pf. 42, 5.

Hic proba te, mi Christiane, utrum etiam posthabitis negotiis domesticis, ejusmodi animi devotione, cultui divino interfueris?

Optandum sane foret; sed in plerisque magna somnolentia & negligentia occurrit: Haud parum molestia Judæis attulit, quod quotannis tribus vicibus imprimis masculi, ad decem, sedecim, aut etiam viginti millia Hierosolymam proficisci, ibique in septimum diem commorari coacti fuerint, magna cum rei familiaris jactura, ut cultum Deo peragerent: attamen id pii & devoti Judæi haud inviti fecerunt, ut patet exemplo Josephi & Mariæ, qui ex Nazareth Hierosolymam usque sedecim millia migrarunt, ibique posthabitâ rei familiari, cultum divinum peregerunt.

Nos vestigiis eorum insistentes, similiter cum laetitia inhabitemus in domo Domini, Pf. 27, 4. quia benedictio propterea nobis expectanda, Sir. 11. v. 24.

Die sabbathi nullum cadebat Manna, sed in die sextâ colligebat cibos duplices Israëlitæ, Exod. 16, 22. Sic Deus benedictione suâ bis repensurus est, quod neglectâ rei familiari diebus festis cultui divino impenditur, Psalm. 112. v. 1. 2.

2. *Jesuli apporatione.* Nam adscendentes Hierosolymam, illum adducunt secum, & à primis pueritiae annis verâ pietate imbu-

unt, ad quam visitatio cultus divini quoque pertinet, Joh. 8. v. 47.

Hic examinent se Christiani, utrum liberos quoque suos pietate debitâ imbuerint, & cultui divino, à teneris annis adsuaserint? Adolescens enim imbutus juxta viam suam, etiam cum senuerit non recedet ab eâ, Prov. 22, 6.

Quamprimû infantibus balbutire incipiunt, piâs precationes & dicta scripturæ cum ipso lacte materno iis instillemus, ut Deo robur perficiant, Pf. 8, 3. Similac ambulare possunt in templum deducendi sunt pueri, ut sacris intersint, concionibus auscultent, & de iis admirationem reddant. Hoc valdè Deo gratum est. Sicuti n. exaudit pullos corvorum, invocantes illum, Psalm. 147, 9. sic nec gemitus & voces infantium respicit, unde etiam in V. T. publicis diebus pœnitentialibus, parvuli & fugentes ubera congregari, & Domino adduci tenebantur, Joel 2, 16. Idem hodie parentibus respectu liberorum incumbit. Deut. 6, 6. Pf. 78, 5. 7.

Hâc laude excelluerunt Abraham, Gen. 18, 19. Hanna mater Samuëlis, 1. Sam. 1. v. 21. 22. Tobias senior, Tob. 4. v. 6.

Id quod omnibus Christianis parentibus imitandum est, ut ejusmodi thesauros liberis suis acquirant. Aurum enim & argentum æruginant, Jac. 5, 3. Sed initium sapientiæ timor Domini, intellectus bonus omnibus facientibus eum, Pf. 111. v. 10.

II. *Pueruli duodecennis amissionem.* Consummatis enim diebus, cum redirent, remansit puer Jesus in Hierusalem, & non cognoverunt parentes ejus, requisiverunt autem eum in tertium usque diem.

Supina hæc erat negligentia, quâ parentes Christi non leviter peccarunt, accuratius n. puerum suum observare debuisset, ne causâ habuissent in tertium usque diem eundem inquirendi.

Probent hic se Parentes Christiani, annon & ipsi in hoc delinquant, quod liberos suos praescitantiâ amittant, nescientes ubi locorum requirere debeant?

Ejusmodi parentû haud pauci hodie inveniuntur, qui nimiam suam indulgentiam liberos corrumpunt, exemplo Eli summi Sacerdotis, cujus filii duo, Hophni & Pineas, omnem malitiam exercebant, 1. Sam. 2. & seqq. Objurgabat quidem illos Heli, 1. Sam. 2. v. 23. & seqq. Sed nimis leniter: Debuisset enim justum adhibere zelum, hoc quia non utebatur, puniebat cum Deus, ut fractam cervicem moreretur, 1. Sam. 4. v. 18.

Quod si autem Eli tantam poenitentiam affectus est, qui verbis filios suos de malitia objurgavit? Quid quaeso de illis parentibus fiet, qui filiis suis in omni scelerum genere conivent, nec curant, an in schola vel alibi locorum fuerint, neque de admissis sceleribus interpellant? Digni sane, qui cum Eli cervicem frangant, quod quoque factum foret, nisi clementissimus Deus dissimularet peccata hominum, propter poenitentiam, Sap. 11. v. 4.

Mundus, ut hodie totus in maligno est positus, 1. Joh. 5. v. 19. sic haud raro fit, ut liberi à veneficis & sagis, summo cum parentum dolore, ad incantationes deducantur. Nec desunt prava exempla, quibus in sequiorem partem liberi pertrahantur. Fascinatio enim nugacitatis obscurat bona, Sap. 4. v. 12. Quin saepius contingit, ut liberi ad libitum circumvagantes, honorem virginitatis disperdant, ut Dina, Gen. 34. v. 20. aut alio malo immergantur, exemplo puerorum in Bethel, qui à duobus Ursis dilaniabantur, 2. Reg. 2. v. 29.

Si grossum amiserimus, illum quaerimus & tollimus: Quidni magis liberos nostros

observaremus, & in viam revocaremus, ne animam jacturam faciant? Quos Deus ad imaginem suam creavit, Gen. 2. v. 27. Christus sanguine suo pretiosè emit, 1. Cor. 6. v. 20. & Spiritus sanctus in baptismo in templum sibi purificavit, 2. Cor. 6. v. 16.

Væ parentibus illis in æternum! qui liberos suos sine disciplina adolescere patiuntur, neque enim illos ad paucos dies aut temporaliter amittunt, ut Josephus & Maria filiolum suum: sed in æternum, quæ maxima est jactura, quam quoque Deus à manibus ipsorum requiret, Ezech. 3. v. 18.

III. *Maria reprehensionem* Noa enim Maria filium suum incorrectum dimittit, sed ita compellat: Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce, pater tuus & ego dolentes quaerebamus te. Optimus Jesus nihil deliquerat, oportebat enim eum esse in his, quæ Patris ipsius erant. Attamen, quia Maria non satis intelligebat, objurgabat ipsum, quod se nesciente retrò mansisset.

Hoc egregium exemplum est, quod hodie quoque matribus observandum, in delictis liberorum, ut debito modo eos reprehendant & castigent. Debito modo, in qua, omne enim nimium vertitur in vitium. Erudi filium tuum, dum spes est: ad interfectionem autem ejus, ne ponas animam tuam. Prov. 19, 18.

Hic Matres sese examinent, an hic via regia inceperint: ut nec nimiam indulgentiam, nec acriori castigatione liberos offenderint?

Utriusque ratio diligenter habenda est. Reperiuntur enim matres, quæ peccant in defectu, etiamsi enim interdum Mariae verbis utantur, tamen spiritu & zelo Mariae carent, ut Comicus dudum conquestus est: *Matres omnes filiis in peccato adjutrices, auxilio in paterna injuria solent esse.* Unde quod patres disciplinam suam in se verant, hæc rursus indul-

indulgentia sua extirpant. Hinc fit, ut ejusmodi liberia ad omnia vitia adolescant, & neque patris neque matris tandem rationem habeant, sed potius utrique & patri & matri illud ant, si non asperius quid tentent. Et hoc ipsum est, quod Siracides dudum prædixit, Sir. 30. v. 1. & seqq.

Deinde offenduntur parentes, peccantes in excessu. sicuti Saul filium suum Jonathan morte affecturus erat, quod paululum mellis gustaverat, 1. Sam. 14. v. 44. Alio tempore lancea illum percussurus erat, quod Davidem excusaret, 1. Sam. 20. v. 33.

Veri parentes in media castigatione meminerint, se parentes, non carnifices esse, ideoque paterne cum liberis agant, unde Apostolus: Patres, nolite ad indignationem provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant, Col. 3. v. 21. h. e. ut Biblia Weimariensis explicant, ne animis cadant, aut præ impatentia & animi desperatione iniqua præsumant, neve convertantur ad stultitiam, Ps. 85. v. 9.

De Secundo.

Pergemus nunc ad alteram partem, *Xq̄-
509. uos ian*, sive notitiam Domini nostri Jesu Christi contemplaturi. Hic nobis in Evangelio hoc nostro proponitur:

I. *Tanquam Doctor admirabilis.* Qui duodecimo ætatis anno, tanta specimina edidit in templo Hierosolymitano, ut seniores Rabbini captum ejus satis admirari nequiverint. In medio enim Doctorum sedebat, audiens illos, & interrogans eos, Quæ materia colloquendi fuerit, non exprimitur, sine dubio, pro temporis ratione de Agno Paschali sermonem seruerunt, ubi credibile, quod puer Jesus ipsis tales quæstiones proposuerit, qualium antea nun-

quam recordati fuerunt; imprimis an agnus Paschalis typus Christi sit? ad cujus exemplum Messias macerandus, & in ligno crucis ad ignem iræ patris cœlestis exardente amore torrendus foret, pro peccatis totius generis humani; & ejus generis alia, quæ Jesus duodecennis tantis argumentorum ponderibus confirmavit, ut illi sine stupore audire non potuerint.

Insigne hoc specimen fuit, quod Christus duodecimo ætatis anno edidit, quod indicavit, se doctorem esse eruditæ linguæ, Esa. 50. v. 4. & Prophetam per Mosen promissum, Deut. 18. v. 15. Alias in Proverbio dicimus: *Ætas illum acuet: Wisheit nicht vor Jahren.* Cum esset parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam, ut parvulus, cogitabam ut parvulus, 1. Cor. 13. v. 11. Sed alia ratio Christi est, in quo omnes thesauri & scientiæ absconditi erant, Col. 2. v. 3. Ideoque omnia scivit, Joh. 16. v. 30. Et verba, quæ locutus est, non nudus sonus, sed verba vitæ æternæ fuerunt, Joh. 6. v. 68.

Hac nostro solatio inserviunt.

In hoc mundo, de magna scientia non voffumus gloriari, sed cuilibet cum Socrate dicendum & confitendum est: *Hoc unum scio, quod nihil scio.* Vivimus enim in terra oblivionis, Psal. 88. v. 13. Ex parte cognoscimus, ex parte prophetamus, 1. Cor. 13. v. 9. Cuilibet cum Jeremia dicendum: *nescio loqui Jerem. 1. v. 6.*

Idcirco boni præceptoris indiguimus, qui voluntatem patris cœlestis enarraret, Joh. 1. v. 18. ut jam sciamus, quid bonum sit, & quid Dominus requirat à nobis, Mich. 6. v. 8. A nostra parte hoc necessarium est, ut intelligamus, & erudiri nos patiamur, Psal. 2. v. 20. Ipse nos docuit *artem patiendi*, dum proposito gaudio sustinuit crucem, Heb. 12. v. 2.

factus patri obediens, usque ad mortem, mortem autem crucis, Phil. 2. v. 8. quo ipso nobis exemplum reliquit, ut instamus vestigiis ejus. 1. Petri 2. v. 21. Docuit nos *artem orandi*, Matth. 6. v. 9. Docuit nos *artem bene vivendi*, Luc. 1. v. 75. Tit. 2. v. 12. Docuit quoque nos *artem pie moriendi*, dum in arca crucis Spiritum Patri commisit, Luc. 23. v. 46. ut & nos secundum voluntatem Dei patientes, fideli creatori commendemus animas nostras, in benefaciendo, 1. Pet. 4. v. ult. Hoc si à Doctore hoc nostro cœlesti discimus, sufficit nobis, sic enim, Christiane vivere, efficaciter preces fundere, patienter pati, & pie mori possumus. Hic thesaurus thesaurorum est, Sir. 47. v. 15. & melius, quam omnia scire, Eph. 3. v. 19.

II. *Tanquam filius tractabilis*. Dum enim ipsum in templo Hierosolymitano offendunt, & reprehendunt, quod se inscientibus, ibi manserit, adeoque affligerit, excusat se, officio suo, dicens: Quid est, quod me quærebatis? nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse? Sed statim additur: Et descendit cum eis, & venit Nazareth: & erat subditus illis.

Tria itaque ad quartum præceptum pertinent, quæ piis liberis exemplo Jesuli duodecennis observanda veniunt.

1. *Reverentia*. Quam exhibere debent in verbis & gestibus. Maria ex postulat cum filio: Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce, pater tuus & ego dolentes quærebamus te? Et excusat se Jesus: Quid est, quod me quærebatis? nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse? q. d. Acquiescite mei parentes! propositum meum non fuit, ut contristatim vos.

Non enim fugit vos, quod Angelus Gabriel dixit, me filium Altissimi appellatū iri. Hic Pater meus, qui in cœlo est, misit me. Doctorem ad justitiam, Joel 2. v. 23. ut prædicarem captivis indulgentiam, & clausis apertionem, Esa 61. v. 1. Hujus rei jam specimen edidi, eo comprobaturus, quod idem ille sim, de quo scripsit Moses in lege, & Prophetæ, Jos. 1. v. 45.

Pari modestia liberi parentibus suis respondere, eosque honore prævenire, interrogati debent, Rom. 12. v. 10. Eph. 6. v. 1.

Exempla Reverentiæ liberorum erga parentes sunt Isaac, Gen. 22. v. 7. Sem & Japhet, Gen. 9. v. 20. Joseph, Gen. 46. v. 29. 48. Salomo, 1. Reg. 2. v. 19.

Si hoc liberi observent, benedictionis temporalis & æternæ à Deo reddentur participes. Sir. 3. v. 4. 5.

2. *Obedientia*. Jesus statim surgebat, & descendebat cum parentibus, & veniebat Nazareth. Sic etiam liberi parentibus obedientiam præstent, quod similiter ad quartum præceptum pertinet. Filii obedite parentibus vestris in Domino, Eph. 6. v. 1. ait Paulus. Et iterum: Filii, obedite parentibus, per omnia, Col. 3. v. 20. Intelligite, quæ non sunt contra Deum & verbum ejus. Quod si enim parentes talia mandent, quæ verbo Dei repugnant, tum oportet Deo magis obedire quam hominibus. Act. 5. v. 29. Imprimis quoque castigationi sese haud inviti subicere debent, quia ipsis in emolumentum vergit. Quis enim filius, quem non corripit pater? Heb. 12. v. 7. Deinde quoque pro facultate ipsis inserviant. Unde Paulus de Timotheo scribit, quod sicut patri filius secum serviverit in Evangelio. Phil. 2. v. 22. Et Tertio, sine consensu ipsorum matrimonium non contrahant. Hoc enim jus Deus pa-

parentibus reservavit, ut filiis suis uxores, & filias suas dare viris debeant, Jerem. 29. v. 6.

Qui vero liberi præ obstinacia parentibus morem gerere recusant, ipsi à carnifice in locum ignominiosum inviti deducuntur. Sic enim trahendi sunt, qui duci nolunt. Vide Prov. 30. v. 17.

3. *Patientia.* De Jesulo duodecenni refert Evangelista, quod parentibus suis fuerit subditus. Hoc indicatur, quod parentibus in re familiari, porrecta manu fidelem operam navaverit. Sine dubio, quia pater ejus putativus faber lignarius, in opificio illo, ei adjutor fuit, unde expresse faber vocatur, Marc. 6. v. 3.

Justinus Martyr scribit, quod atrata & juga conficere solitus fuerit.

Sic adhuc hodie peregrinantibus ad Nazaretham fons monstratur, ex quo puer Jesus parentibus aquam attulerit.

Quod si itaque Jesus noster parentibus suis tanta obedientia inservivit, qui tamen erat filius Altissimi, Luc. 1. v. 32. Neque nostri liberi ægre ferant, si parentibus mutuam operam in re familiari navare tenentur, sicut exemplis Josephi, Gen. 37. v. 14. & Davidis, 1. Sam. 17. v. 17. instruuntur.

III. *Tanquam officii sui observator venerabilis.* Sontica enim erga parentes excusatione utitur, ajens: Nesciebatis, quia in his, quæ patris mei sunt, oportet me esse? quo ipso innuit, quod, quamvis parentibus suis corporalibus, suo modo obstrictus sit: tamen superiorem in cælo parentem habeat, cujus mandatis obtemperare tenea-

tur. Quod omnes liberi fideliter observare debent, ne à parentibus ad idololatriam aut alia scelera se abduci patiantur, sed ante omnia Deum respicere, ex quo omnis paternitas in cælis & in terra nominatur, Eph. 3. v. 15. Qui enim amat patrem, aut matrem plus, quam me, non est me dignus, Matth. 10. v. 37.

In genere hic omnes egregium exemplar habent, quomodo quilibet officii rationem habere, & in eo, quæ patris sui sunt, esse debeant. *Pastores in Ecclesia, Magistratus in curia, & Patres & matres familias in officina.* Ibi quilibet satis inveniet, quod peragat. Si itaque in vocationis suæ operibus diligens est, tum salva conscientia, quod jure conjugium est, frui potest, & dicere: *Anna nescitis, quod me esse oporteat, in his, quæ Patris mei sunt.* Juxta illud: ministerium ministrando, qui docet, in doctrina: qui exhortatur, in exhortando: qui tribuit in simplicitate, Rom. 12. v. 8.

Hoc si fecerimus, & super pauca illa fideles Deo nostro extiterimus, tum aliquando nos super multa constituet, & in gaudium cælestem introducet, Matth. 25. v. 23. Ubi vere erimus in illis, quæ patris nostri sunt, nempe in domo ejus, in qua mansiones multæ sunt, in qua nobis Christus locum paravit, Joh. 14. v. 2. & tanquam domesticis Dei, Eph. 2. v. 19. Societatem habebimus cum Patre & filio, 1. Joh. 1. v. 3. Benedicto in secuta, Rom. 9. v. 5. Largiatur id nobis Deus pater, per filium, in Spiritu S. Amen.